



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

Fargna, Francesco de

Romæ, M. DCC. XIX.

Casus V. Argumentum. Baptizatus ab hæreticis, & natus à Parentibus hæreticis an sit irregularis, adeòt indigeat dispensatione ad effectum ut promoveri possit ad ordines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)

quæ impedit votum, seu obligationem continentia, licet non impediatur impressionem characteris, satis detegitur ex attestationibus, & documentis allatis pro parte ipsius Josephi. Ex istis enim non probatur coactio causativa illata eidem Josepho ab ejus Patre directè ad hunc effectum, ut ipse susciperet ordinem Subdiaconatus; nam primus, secundus, & quintus Testis deponunt, super hujusmodi coactione, seu super vi, & metu tantum de auditu, adeoque eandem coactionem non probant, ad *Text. in cap. licet de Testibus Rot. in Tuden. Parochialis de Reverteme 17. Junii 1712. S. Secunda, coram R.P.D. Falconerio*. Tertius, & quartus solum enixam testantur voluntatem Patris, ut Filius Subdiaconatu insigniretur; ac proinde nihil probant, fieri namque potuit, quod Pater habuisset hanc enixam voluntatem, & tamen, quod non induxisset ejus filium per vim, & metum cadentem in constantem virum ad suscipiendum Subdiaconatum. Sextus denique Testis, qui deponit se interposuisse nè Sebastianus cogeret Filium invitum ad susceptionem SS. Ordinum, & concludit = *Non lo potè persuadere per il crudele naturale di detto Don Sebastiano* =, eandem coactionem non probat, quia cum hujus Testis depositio conquassata remaneat à tot contrariis Testibus, nimirum à Matre, Sorore, & Avunculo Josephi deponentibus Sebastianum Patrem fuisse virum optimis moribus imbutum, & nullatenus coegisse Filium ad suscipiendum prædictum ordinem, nullum probationis gradum de jure constituere potest *Rot. in dicta Tuden. Parochialis de Reverteme 17. Junii 1712. S. Concomitans, coram R.P.D. Falconerio*. Et eorum attestationibus potius est deferendum, cum sint consanguinei, & intrinseci ejusdem Sebastiani, qui proinde scire magis præsumuntur hujus naturam, quam dictus sextus Testis extraneus.

3 Sed etiam si ommittatur constare de hujusmodi coactione, tamen quia præfatus Joseph suscepit ordinem, nulla præmissa protestatione, & post obitum Patris non reclamavit, nisi post Triennium; immò procuravit post obitum Patris Coadjutoriam ejusdem Dignitatis, aut aliud beneficium, & gratias egit ei, median-

Par. VI.

te quo illud procuravit, transmittendo etiam munera, & pecunias, ut deponunt sextus, & nonus Testis Fiscalis; sequitur ipsum ratificasse ordinem susceptum, & consequenter teneri observare votum continentia, dum metus, & violentia purgantur per liberum consensum supervenientem. *Fagnan. in dicto cap. majores de Baptismo num. 114. ibiq. Butr. n. 8.*

Et ita resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Hispalen. Nullitatis Ordinis 2. Maji 1716.*

4 Quæro hic si Ordinatus ad Subdiaconatum, in actu ejus collationis tangat calicem, & patenam, non autem Librum Epistolarum ex inadvertentia, an ista omissio suppleri possit per Episcopum etiam privatim?

Respondeo *Affirmative*, uti resolutum fuit à S. Congregatione Concilii in *Ordinis Capuccinorum, seu Senogallien. ordinationis 10. Januar. 1711.* ubi cum quidam Religiosus ordinis Cappuccinorum accesserit cum dimissorialibus sui Superioris ad Episcopum Senogallien. pro suscipiendo Sacro Subdiaconatus ordine, in actu ejus collationis tetigit quidem Calicem, & patenam, non autem librum Epistolarum ex inadvertentia Assistentis; Unde licet Orator ex cõmuniori Doctorum opinione non dubitaverit de valida ejus ordinatione, sed tantum crediderit ei deficere potestatem legendi Epistolas, nihilominus urgente etiam opinione nonnullorum Doctorum sentientium in oppositum, supplicavit pro opportuna declaratione; proposito proinde dubio = *An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.* fuit rescriptum *Esse supplendum per Episcopum, etiam privatim.*

ARGUMENTUM.

Baptizatus ab hæretico, & natus à Parentibus hæreticis an sit irregularis, adeout indigeat dispensatione ad effectum, ut promoveri possit ad Ordines.

SUMMARIUM.

1 *Recipiens Baptismum ab hæretico antequam usum rationis, non efficitur irregularis.*

Y y 2 2 He-

- 2 Hæreticus, hæresi etiam abjurata remanet irregularis; secus filius hæretici; Limita, ut ibi.
- 3 Recipiens Ordines ab alieno Episcopo absque Dimissorialibus proprii Ordinarii, remanet suspensus à susceptorum ordinum executione.
- 4 Hæc suspensionis pœna, an, & quando sit de medio tollenda? Vide ibi.
- 5 Ad licitam ordinationem requiruntur Testimonialia Ordinariorum eorum Locorum, in quibus ordinandus moram traxit.

CASUS V.

Guilielmus Melfort, qui obtinet Archipresbyteratum in Collegiata Ecclesia Sancti Eustachii, debet ex causa dicti beneficii ad Sacros Ordines ascendere, sed nonnullis indiget dispensationibus, ut ex sequenti facti serie desumitur.

Guilielmus origine Scotus Landini natus est anno 1686. ex Genitoribus conspicuæ, & nobilissimæ Familiæ, sed hæresis labe infectis, qui tamen hæresim abjurarunt, & Catholicam Religionem subinde amplexi sunt, dum ipse erat in ætate annorum duorum, & postquam ab Administrato Ecclesiæ Anglicanæ Baptismum receperat.

Tempore, quo gloriosæ memoriæ Jacobus Secundus Angliæ Rex è Regno fuit expulsus, ipse cum suis Genitoribus Gallias, & deinde Flandriam petiit, & in Universitate Duacensi suorum studiorum cursum explevit, & ab Episcopo Atrebatensi Confirmationis Sacramentum suscepit, & post hæc, cum Gallias reversus fuisset, fuit ab Episcopo Niverniensi ad primam Tonsuram, & ad quatuor Ordines Minores promotus absque dimissorialibus sui Ordinarii; Duobus ab hinc annis Romam venit, & à Sanctissimo Domino Nostro dictum Archipresbyteratum S. Eustachii obtinuit; In hoc rerum statu disputata fuerunt in Sac. Congr. Concilii sequentia dubia.

Primo = An Orator sit irregularis, ex quo Baptismum ab Hæretico recepit =

Secundo = An irregularis sit, ex quo natus est à Parentibus Hæreticis; & quatenus affirmativè.

Tertio = An ei sit indulgenda dispensatio =

Quarto = An remanserit suspensus à susceptorum Ordinum executione, ex quo eos recepit sine dimissoriis proprii Episcopi? Et quatenus affirmativè.

Quinto = An hæc suspensionis pœna de medio tollenda sit per Apostolicam dispensationem, non obstante, quod sui Ordinarii consensus deficiat.

Sexto = An probatio de vita, & moribus, nec non Baptismi, & Confirmationis fieri possit per testes, deficientibus literis testimonialibus Ordinariorum juxta præscripta in Bulla Speculatores.

1 Super quibus meum aperiendo sensum Ad primum negativè respondendum credebam; Quia Orator recepit Baptismum ab Hæretico ante usum rationis, & dum erat in ætate infantili, nimirum duorum annorum, qua ætate quis per susceptionem Baptismi ab Hæretico non efficitur irregularis juxta Textum in Can. Placuit, & in Can. Qui apud Donatistas 1. quæst. 4. Gloss. in Can. Qui in qualibet 1. qu. 7. verb. Baptizati, Suarez de Censur. disput. 42. sect. 1. nu. 11.

2 Ad secundum pariter negativè: Licet enim Hæreticus, hæresi etiam abjurata, remaneat irregularis. Can. Presbyter de pœnit. dist. 5., tamen Hæretici filius non est irregularis, si Parentes Catholicam Fidem amplexi sint, Suarez ubi supra disput. 43. sect. 3. Albit. de Inconstan. in fide cap. 24. nu. 75. & seq. Et consequenter ad tertium est satis provisum.

3 Ad quartum affirmativè; Ita enim disponitur à Concilio Tridentino in cap. 8. sess. 23. de reform. à Bullis Pii II. la 7. Clementis VIII. la 40. & Urbani VIII. la 33. & ab hoc Canone in §. Porro, Nec Oratori suffragari potest ratio domicilii in Galliis contracti, quia non constat de requisitis hujusmodi domicilii ad formam hujus Canonis.

4 Ad quintum Affirmativè, stante Oratoris bona fide, & non constat eum suscepisse primam Tonsuram, & Ordines Minores ab Episcopo Niverniensi, absque literis dimissorialibus sui Ordinarii dolosè, & in spretum, quo casu dignus videtur Apostolica dispensatione.

5 Denique ad sextum dicebam admitti posse probationem Baptismi per testes, & jura-

juramentum Oratoris; in reliquis verò exquiri debere testimoniales Ordiniorum eorum Locorum, in quibus moram traxit; quia cum ibi canonico aliquo impedimento irretiri potuerit, proinde necessaria videntur testimoniales Ordiniorum, prout ab hoc *Canone* præscribitur.

Et ita resolutum fuit ab eadem S. Congregatione in *Romana* 21. Maji 1718.

ARGUMENTUM.

Neophitus promotus ab Episcopo ad sacros Ordines, & provifus de Beneficio Ecclesiastico Jurispatronatus an, & quando non indigeat absolutione cum rehabilitatione ad Ordines, nec nova, provifione Beneficiorum.

SUMMARIUM.

- 1 Neophiti, an, & quando sint irregulares.
- 2 Promotus ad Sacerdotium capax est consequendi beneficia absque ulla dispensatione.
- 3 Filii Hæreticorum sunt incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum; secus nati à Parentibus Turcis.
- 4 Promovendi ad Episcopatum debent esse nati à Parentibus Catholicis secus promovendi ad alia Beneficia inferiora.

C A S U S V I.

Joannes Baptista Simon Vivier natus à Patre, & Matre Turcis, Sacramentum Baptismi recepit in infantili ætate, & omnibus sacris Ordinibus, non excluso Presbyteratu, fuit initiatus ab Episcopo Melevitano, qui suæ originis perfectam notitiam dicitur habuisse. Assumptus etiam fuit ad officium Substituti Cancellariæ Curia Episcopalis, & ab Ordinario fuit provifus de Beneficio Ecclesiastico jurispatronatus Laicorum; Cumque Sedes Apostolica alterum eidem Beneficium contulerit; Quæsitum fuit à S. Congregatione Concilii.

Primo = *An Orator indigeat absolutione cum rehabilitatione ad Ordines.*

Secundo = *An indigeat nova provifione Beneficiorum* = & quatenus affirmativè.

Tertio = *An eidem indulgenda sit absolutio cum rehabilitatione ad Ordines, & cum nova Beneficiorum provifione* =

Quæ omnia prout infrà resolvenda dicebam; Ad primum nimirum *negativè*: Tum quia Orator fuit promotus ad Ordines ab Episcopo Melevitano cum facultate sibi tributa eum ordinandi in quadam Epistola S. Officii ipsi scripta de anno 1696. Tum etiam quia licèt Neophiti sint irregulares juxta Canones à Gratiano relatos *dist. 48.* hoc tamen procedit in his, qui fuerunt baptizati in adulta ætate, & qui de recenti conversi sunt, juxta *Suarez de censur. disp. 43. sect. 3. conclus. 2. n. 5.* non verò applicatur illis, qui in infantili ætate constituti Baptismum receperunt; sicuti nec procedit, quo ad eos, qui licèt Baptismum in adulta ætate receperint, post aliquod nihilominus temporis intervallum, & experimentum, idonei ab Ordinario reputantur pro sacrorum Ordinum receptione, juxta *Gibalin. de Irregul. cap. 3. propos. 3. Diana in editione coordinata tom. 5. tract. 5. resol. 47. Suarez ubi supra nu. 6. & seq. Sanchez in præcept. Decal. lib. 2. cap. 28. num. 11. Bonacin. oper. moral. tom. 1. de Irregul. quæst. 2. punct. 1. propos. 3. num. 5. Corrad. in prax. dispens. lib. 3. cap. 7. num. 2. & seq. Ricciul. in tract. de Neophit. cap. 3. sub nu. 4. S. Pugnantes.* Et optimè ponderavit R. P. D. meus Lambertinus in *Folio* impresso, & ab ipso eruditè extenso.

- 2 Ad secundum pariter *negativè*; Orator namque jam est promotus ad Sacerdotium, ac proinde capax est consequendi beneficia absque ulla dispensatione. *Ricciul. de Neophit. cap. 4.*
- 3 Non obstat Textus in *cap. Quicumque S. Hæretici de hæret. in 6.*; nec Constitutio 6. Gregorii XIV. §. 9. De qua supra *Can. XXI.*; quia *Textus* loquitur de Filiis hæreticorum, & dicit eos esse incapaces Beneficiorum Ecclesiasticorum, non verò de nato à Parentibus Turcis, & *Constitutio* loquitur de promovendis ad Episcopatum, qui debent esse nati à Parentibus Catholicis; non verò de promovendis ad alia beneficia inferiora. Ex quibus sequitur ad tertium esse satis provifum.

Et ita resolutum fuit ab eadem Sacra-
Con-